

Heinrich Müller Christophorus Parschitius

De Iustificatione, Teses Theologicae

Rostochi[i]: Kilius, 1665


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740044729>


Druck Freier  Zugang




RU theol. 1665

Möller, Henr. /a







Archiv

DE
JUSTIFICA-
TIONE,
Theses Theologicæ,

Quas
Consentiente Venerando Collegio Theo-
logico in Acad. Rostochiensis
PRÆSIDE

D. HENRICO MULLERO,

Theol. Professore Ordinario & ad
Div. Mariæ Pastore

In Auditorio Majori d. Julii
proponet publicè

CHRISTOPHORUS PARSCHITIUS,
Pannonius.



ROSTOCHI,
Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LXV.

DE
JUSTIFICACIONE
Theſis Theologica,

Conſtitutione Venerabilis Collegii Theol.
logici in Acad. Roffocholoni

PRÆFATIO
D. HENRICO MÜLLERO,
Theol. Profefſore Ordinario & ad
div. ſtat. Profefſore

CHRISTOPHUS PARASCHEIUS,



Rostock,
Typis JOHANNIS KILLII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LXX.

De
IUSTIFICATIONE.

§. 1.



Ocem *justificationis* apud probos Latinitatis authores vix, aut raro invenias. Nec de sensu vocum Scripturæ ex Latina, sed lingvis originalibus erat judicandum.

§. 2. Operam ergò perdunt Pontificii, quando analogiam grammaticam lingvæ Latinæ secuti vocem justificandi *moraliter* sumendam esse contendunt pro *ju-*

stum facere, aut justitiæ habitum infundere, perinde uti *cale. facere* idem est, quod pulso frigore, calorem inducere.

§. 3. Neque verò analogia ista universalis est; Glorificamus & sanctificamus Deum non ex inglorio gloriosum, ex profano sanctum faciendo, sed talem æstimando atque prædicando.

§. 4. In Scriptura verbum *הצדיק* & *δικαιώω* ut plurimum significationem habet forensalem & significat *injustum à peccatis absolvere*, pro innocente declarare & habere. Vid. Deut. XXV, 1. 1 Reg. VIII, 32. Ps. LXXXII, 5. Es. V, 23.

§. 5. Et hanc significationem hujus quoque loci esse constat ex opposito vocabulo *condemnationis*. Deut. XXV, 1.

A

Prov.

Prov. XVII, 15. Matth. XII, 37. Certè cujus oppositum semper significat actum judiciale, id quoque talem actum significet oportet, quia opposita sunt sub eodem genere. Notare autem vocem condemnationis semper cum de DEO usurpatur, actum judicis deputantis ad pœnam, fateatur ipse Bellarminus l. II, de Justif. c. 3.

§. 6. Res hæc adeò manifesta, ut Andreas Vega, qui ipse Concilio Tridentino interfuit, Patresque de justificatione acriter disputantes audivit, l. XXV. de Justif. c. 5. ingenuè fateatur, *Verissimum esse, quod justificare sit absolvere.*

§. 7. *JUSTIFICATIO est actio Dei ex mera gratia propter Christi mediatoris obedientiam homini peccatori verè credenti, gratis sine operibus peccata remittentis, atq; ius vite aeternae tribuentis.*

§. 8. *Causa efficiens principalis Deus est, non personaliter sumpta voce pro solo Patre, sed essentialiter, quia opus est ad extrâ, & tribuitur tum Patri Rom. VIII, 31. tum filio Matth. IX, 2, tum Spiritui S. I. Cor. VI, 11.*

§. 9. *Causa impulsiva interna est Dei gratia sive misericordia. Rom. III, 26. Eph. II, 4.*

§. 10. Pontificii primam, quam vocant, justificationem merè gratuitam esse haud inficiantur. *Gratis, inquit Patres Concilii Tridentini cap. VIII, justificari ideò dicimur, quia nihil eorum, quae justificationem precedunt, sive fides sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur, si enim gratia est, iam non ex operibus; alioquin, ut Apostolus inquit, gratia non est gratia. At in secunda justificatione per gratiam intelligi tantum eam quæ extrâ nos est, sive gratiitum Dei favorè etiam sub anathemate vetant credere Patres citati Ses. VI, can. II. Disertè Bellarminus l. c. gratia justificans non est solus Dei favor, sed donum in anima hærens. Eadem habent Costerus in Enchir. p. 231. Gregorius de Valentia Tom. II. disp. 8.*

§. 11. At fictitia hæc est distinctio, miramq; infert justificationis cum sanctificatione confusionem, nec vestigium, ejus vel scriptura exhibet, vel per 1500. à Christo annos Antiquitas.

§. 12. Nobis gratiam Dei in hoc articulo meram denotare *misericordiam* divinam ex Tit. III, 5. persvasissimum est, ubi conjunguntur *misericordia & gratia*. Ipsique Cornelius à Lapide & Gulielmus Estius in comment. suis agnoscunt, vocem *gratia* non significare donum infusum, sed opponi nostro merito, atque idem esse quod *gratis*.

§. 13. Certè gratia, quâ justificamur, opponitur operibus Rom. XI, 6. Eph. II, 8. non solùm ex viribus liberi arbitrii, sed & gratiæ profectis, quia ad conversos Romanos, quorum fidem prædicari dicit in toto mundo, c. I, 8. & Ephesios, quos sanctos, electos & cives sanctorum appellat c. I, 1. loquitur Paulus. Dona autem gratiæ infusa non opponuntur bonis operibus, sed sunt ipsa bona opera & virtutes Christianæ. Deinde, propositum Dei & gratia data ante tempora secularia non sunt dona gratiæ infusa, quia propositum Dei se habet ad habitus infusos ut causa ad effectum, & ante tempora secularia dona infundi nulla nobis potuerunt. At gratia quâ justificamur est propositum Dei & gratia data ante tempora secularia II. Tim. I, 9. 10.

§. 14. Sed audiamus ex adversariis ipsis non Albertum Phiggium, ea quæ de gratia habituali proponunt scholæ, *commentitia* universim omnia appellantem, quippe quem ex *lectione librorum Calvini miserè seductum* esse Bellarminus existimat lib. I, de grat. & lib. arb. c. 4. sed Benedictum Pererium, qui disp. XIII. in cap. III. Ep. ad Rom. n. 53. *Nomen gratia*, inquit, *cum hic dicit, justificati gratis per gratiam ipsius, licet possit significare supernaturalem & divinam illam qualitatem à Deo infusam animo hominis & in ea inherentem, quâ est*

justus & gratus Deo, videtur tamen potius hoc loco significare gratitudinem Dei bonitatem & benignitatem erga hominem. Opponit enim Paulus operibus hominum gratiam Dei, significans non meritis hominum quasi debitam reddi justitiam, sed nullis precedentibus hominum bonis meritis, imò pluribus malis meritis propter infinitam tantum Dei benignitatem ac misericordiam gratuitam dari justitiam homini.

S. 15. Quod ex verbis Johannis c. 1, 17 opponunt argumentum adversarii; *Gratia per Christum facta est. Benevolentia Dei patris per Christum facta non est. E. & c.* ipsorum causam parum promovet. Verbum fieri per *éxíven* expressum non semper notat mutationem præviis dispositionibus ad novæ formæ receptionem, sed sæpe nudam existentiam, ut h. l. sit sensus; *Gratia & veritas extitit per Jesum Christum. Facta i. e. revelata, præstita, præsens exhibita est, veterum umbrarum usu & observatione sublata*, inquit Jansenius ad h. l. Deinde, dupliciter intelligi potest, cum gratia facta dicitur, vel quod deducta fuerit à non esse ad esse, vel ratione terminationis ad objecta. De priori si intelligatur *Major*, universalis non est, cum non omnis gratia, inclusa etiam misericordia Dei essentiali, à Christo ita facta fuerit, ut à non esse ad esse fuerit deducta; De posteriore negamus *Minorem*. Nam sic benevolentia Dei commodè facta dicitur: etsi enim illa, uti ipsa essentia divina, immutabilis, tamen ratione terminationis ad extra fieri sive alicui conciliari potest. Neque aliter intelligit Johannes, cum dicit gratiam per Christum factam esse, quàm quod dederit nobis potestatem ut fieremus filii Dei, prout ipse explicat v. 12.

S. 16. Neque verò plus lucrantur adversarii verbis Pauli de *charitate Dei effusa in cordibus nostris* Rom. V, 5. De prædicat enim his verbis Apostolus Dei charitatem erga nos, tanquam primarium in cruce spei nostræ fundamentum.

tum. Ita Cajetanus, Toletus, Justinianus, & communiter omnes Interpretes, ut habet Dominicus à Soto in h. l. Esto verò, loquatur Paulus de Charitate nostra erga Deum, certè non pro *causa* justificationis, sed pro *signo* ejusdem eam habet, quatenus charitatis internæ sensus in corde nostro nos de justificatione nostra certiorat à posteriori.

§. 17. Gratiam justificantem nullis præparationibus meritoriis homo prævenit. Ambrosius l. X. Ep. 84. *Gratiam Dei nemo prævenit merito suo*, Et Augustinus in Pl. XXX. *Quare gratia? quia gratis datur. Quare datur gratis? quia merita tua non præcesserunt, sed beneficia Dei te prævenerunt.*

§. 18. Etiam meritum congrui ante justificationem, sive fidem præcedat, sive sequatur, damnatum legimus à Veteribus. Augustinus Epist. CV. *Ut iusti fierent, merita non fuerunt.* Prosper, cap. VI, de object. Gallorum; *Justificatus homo nullo præcedente bono merito accipit donum.* Bernhardus Serm. LXXVII. super Cant. *Non est, quò gratia intret, ubi jam meritum occupavit.* Ex Pontificiis ipsis Sotus l. II. de nat. & grat. c. 4. concedit dispositiones ad justificationem, sed negat posse vocari merita. Stapletonus de pecc. orig. l. j. c. 4. ait meritum congrui respectu primæ gratiæ jam olim explosum, nec à probatoribus Scholasticis unquam admissum esse. Apertè idem damnarunt Gregorius Ariminensis l. II. dist. 26. qu. 1. Nicolaus Lyranus super j. cap. Jos. & Thomas Waldensis lib. III. de Sacram.

§. 19. *Causa impulsiva externa sive meritoria* justificationis nostræ est *obedientia Christi activa*, uti distinguunt communiter, & *passiva* fide apprehensa. Quamvis enim ex gratia peccata nobis remittit Deus, quia tamen non tantum misericors sed & infinitè justus est, id ipsum non nisi intuitu λόγος à Christo per soluti facit. Rom. III, 14. Col. I, 7.

§. 20. Eadem obedientia Christi dicitur etiam *justitia Christi*, non quidem *essentialis*, sed *officii*, uti loquitur F. C. quia Christus pro nobis satisfecit legi examissim eam implendo, non tantum sanctè vivendo, sed & peccata nostra in se recipiendo & pro iis luendo Es. LIII, 6, Joh. I, 29.

§. 21. Quanti valeat distinctio inter obedientiam Christi activam & passivam, vidimus Semic. II. qu. 15. Quod autem ad justificationem nostram non tantum obedientia mortis sed & *vite* Christi concurrat, patet, *tum* quia obedientia, quæ in impletione legis consistit, non species habet diversas, sed tantum diversa objecta; *tum* quia finis illius erat non tantum satisfacere pro peccato, sed etiam mereri vitam; *tum* quia aliàs Christus non sanctus fuisset officio mediatoris nisi ex parte; *tum* quia quicquid secundum legem præstitit Christus, id pro nobis præstitit, ut imputatione fieret nostrum. Pro se enim legi nec quàm pœnam, nec quàm obedientiam obligabatur, sed erat Dominus legis Matth. XII, 8. Certè si pro se subjectus fuisset legi, in Adamo peccasset & legem Adamo latam violasset, quod fieri non potuit, quia etiam in Adamo non ut nudus, sed ut homo, suam cum existeret, subsistentiam habiturus in persona infinita filii Dei, fuit.

§. 22. *Subjectum* justificationis est *homo peccator* & *impius* Rom. IV, 5. non tamen *quà talis*, aut *in statu*, sed *ampliatione* consideratus.

§. 23. *Credentes* quando dicuntur justificari, exprimitur non solum *subjectum*, sed & *medium* justificationis à parte nostra; non tantum *quinam* sint justificandi, sed & *quomodo*?

§. 24. Benè autem notetur, aliam esse quæstionem de *subjecto* justitiæ, cum illa consideratur ratione *cause meritorie*; aliam ratione *cause formalis*, sive quatenus imputatur; priori modo *subjectum* ejus est *Christus*, posteriori *peccator credens*. §. 25.

§. 25. *Causa instrumentalis* justificationis est *fides*, Verbo & Sacramentis non ex-sed inclusis, quippe quæ fidei subordinantur, cum per hæc illa accendatur.

§. 26. *Directè* fide dicimur justificari, non verbo & sacramentis (1) quia fides est propinquum illud organum, quod cum justitia Christi proximè cohæret; Verbum autem & sacramenta *indirectè* quadam remotiore cohærent cum Christi justitia, quatenus fides per illa accenditur & confirmatur. (2) quia fides ad justificationem & salutem simpliciter est necessaria Matth. XXXVIII, Marc. XVI, Joh. III. verbum & Sacramenta non item; nam in casu necessitatis absque dispendio salutis carere iis potest, quem Deus ab hoc ordine eximit, quod qui *negat aut* asserere periculosum esse existimat, & verba Christi Marc. XVI, v. 6. non satis penetrat, & Pontificiis absolutam Baptismi necessitatem adserentibus haud obscurè favet, contra quos prolixius egimus Semic. II, qv. IX. §. 6. (3) quia justificatio non tam dicitur secundum Deum, quàm hominem: Verbum & Sacramenta sunt organa salutis respectu Dei, fides autem respectu hominis.

§. 27. Scriptura quidem in *casu recto* fidei justificationem nusquam tribuit, facit id tamen sub *casibus obliquis* veram causalitatem importantibus, ut cum *fide apprehendi justitiam* dicit Apostolus Rom. IX. 30.

§. 28. Causam instrumentalem appellant Philosophi, quæ non agit nisi elevata à nobiliori, sive causa principali, quæ h. l. Deus est & per appropriationem Spiritus S. qui fidem accendit & cor ad salutarem Christi adspectum elevat. Nec obstat, quod Virtus fidei per se & quatenus est fides, ignobilior sit, quàm ad causandam justificationem requiritur: fides enim merito Christi innititur, ejus tanta virtus, quanta ad obtinendam remissionem peccatorum abundanter sufficit.

§. 29.

§. 9. Contra hanc justificationis causam instrumentalem nihil obtinet illa Papicolarum objectio: *Spe salvati sumus Rom. VIII. E. non fide.* Notum enim est, vocabulum *spei* non rarò pro altera fidei parte, nempe *fiducia*, usurpari Pl. XCI, 14. Prov. VI, 28. Joh. V, 45. Fides certè apprehendit justitiam & salutem, ut rem, vi unionis nostræ cum Christo, jam ad nos pertinentem Eph. II, 6, at spes ut rem futuram, cujus plena possessio expectatur Hebr. XI, 1.

§. 30. Hæc fides omnia credit, quæ verbo Dei sunt tradita, sed non omnia illa fidem perinde sustentant: à promissionibus Evangelii vitam ducit, iisque ininitur. Non dubitamus quidem, quin Author Epistolæ ad Hebræos c. XI. loquatur de fide justificante, sed quæcunque ibi tribuit fidei, non omnia conveniunt fidei quatenus justificat, haud secus atque homini tribuuntur affectiones generis, sensus, motus, vita, quæ illi tamen non conveniunt quæ homo, sed quæ animal aut vivens.

§. 31. Nugantur Pontificii, quando fidem justificantem tam latè patere, quàm late patet verbum Dei, certam autem promissionem specialis misericordiæ non tam ad fidem, quàm ad præsumtionem pertinere contendunt, Vid. Bellarminus l. I. de Justif. c. 4. Pistorius Disp. de Justif. th. XIX. Becanus l. I. Manual. c. 16, qv. 6. Sanè, quod credendo salvamur, id est proprium objectum fidei justificantis. At qui credendo, quod Deus proposuerit Christum propitiatorium per fidem in sanguine illius &c. Rom. III, 24. E. Deinde, Fides occupata circa suum objectum in actu justificationis consolatur Rom. V, 1. At fides ut respicit omne Dei verbum non consolatur. Lex enim peccatum auget Rom. III, 20. & iram operatur c. IV, 15.

§. 32. Ex his constat, omninò fundamentum habere distinctionem, quam habent nostri inter *fidem historicam*,

mira-

miraculosam & Salvificam, utut Bellarminus l. c. eam rejiciat & Maldonatus in cap. IX. Matth. ita scribat; *Ista triplex fides, quam illi nuper invenerunt, figmentum est, somnium, portentum, chimera.* Certè quæ ab invicem separari possunt, ea distinguuntur realiter. Atqui Fides dogmatica, miraculosa & salvifica &c. Quamvis enim salvifica sine dogmatica esse non possit, potest tamen dogmatica esse sine salvifica Jac. II, 19. quod de miraculosa etiam patet ex Matth. XXI, 22. 23. Adde, quod fides historica & miraculosa possit separari à charitate I. Cor. XIII, 2. abs quâ tamen salvifica separari non potest, quippe quæ per eam operosa Gal, V, 6. & sine ea mortua est Jacob. II, 12.

§. 33. Ad convellenda argumenta hæc Adversarii distinctione utuntur inter fidem *formatam & informem*: Illam vocant assensum, ut habet conjunctam dilectionem; hanc nudum assensum dilectione destitutum, quam, quâ talis est, etiam diabolis & hypocritis competere, nec vim justificandi habere, quatenus autem formatur, movetur, & animatur à charitate justificare contendunt. vid. Bellarminus l. c. Ubi notandum, quod non intelligant *formam informantem intrinsecam*, cum charitatem fidei formam dicunt, sed tantum *assistentem & moventem*. At falsum est dilectionem esse formam fidei etiam assistentem. Nam dilectio est ex lege, quia & summa legis est & in lege *præcipiendo* sufficienter revelatur Matth. XXII, 40. Rom. XIII, 8; Fides justificans verò cum objecto suo adæquato non est ex lege sed Evangelio, quod nobis eam revelat promittendo Gal. III, 7. Deinde, Charitas est effectus fidei, quia hæc per illam est *ἐνεργεῖν* Gal, V, 6. non *passivè* uti pueriliter Bellarminus explicat, sed *activè*, ut rectè reddidit interpres Latinus, non *mota*, sed *moventis*. At effectus non potest esse forma, nec informans, nec assistens.

§. 34. Fides justificans in conceptu suo formali duos connotat actus, quorum alter est in intellectu, alter in voluntate: ille vocatur assensus, hic fiducia.

§. 35. Assensus præsupponit notitiam credendorum, quæ intrinseca fidei est & essentialis, non illa, quæ in evidenti ratione, sed in auctoritate revelantis fundatur, quam fidei non modò adjungit scriptura, sed & præponit Joh. X, 38. c. XVII, 8.

§. 36. Bellarminus l. II. de Justif. c. 7. Fides, inquit, melius per ignorantiam quam per notitiam definitur. Vult ergò hominem per ignorantiam justificari. Quæ sanè ad justificationem via est compendiosissima. Inde illa fides implicita, qua populus fidem suam fidei ecclesiæ involvens id credit quod credit ecclesia, quæ sub modestiæ & humilitatis prætextu affectata est ignorantia: nescit enim quid credat ecclesia, nec quid debeat credere, nec cui ecclesiæ sit credendum. At verò seipsos prostituunt Adversarii, dum asserunt fidem esse ad sensum & negant esse cognitionem, quis enim assentitur rei ignotæ?

§. 37. Fiduciam, qua quis promissionem Evangelii sibi applicat & in merito Christi credens sibi per Christum peccata esse remissa acquiescit, ad essentiam fidei justificantis pertinere itidem negant Pontificii. Tridentini Patres Sess. VI, c. 10. Si quis dixerit, inquit, fidem justificantem nihil aliud esse, quàm fiduciam divina misericordie peccata remittentis propter Christum, anathema sit. Et Bellarminus l. c. 1. 5. Probat ex divinis literis, fidem justificantem non esse fiduciam misericordie, sed solùm assensum firmum ac certum ad ea omnia, que Deus credenda proponit. At cujus oppositum est diffidentia atque metus, id ipsum est fiducia. Fidei scriptura opponit metum Matt. VIII, 26. Act. XXVI, 19. Rom. X, 20, Et Paulus peculiarem applicationem ipse suo exemplo docet Gal. II, 20. 1. Tim.

l. 15. Quod de metu Noe proponitur Hebr. XI, 7. non salutis concernit negotium sed diluuium, nec de metu *diffidentiae* intelligendum est, sed *piae sollicitudinis*.

§. 38. Si obijciant adversarii, unam numero qualitatem non posse esse in diversis subjectis, respondemus (1) falsum id esse. Dilectio est una virtus, pertinens ad voluntatem, quae tamen etiam ad mentem sive intellectum à Mose & Christo refertur Matth. XXII, 32. (2) fidem esse unam qualitatem per accidens sive per aggregationem, quales quidem in subjectis realiter distinctis esse possunt, uti una albedo in tota domo, una pulcritudo in toto apparet corpore.

§. 39. *Obedientiam* cum fiducia salvifica arctissimo nexu conjunctam, ejusque necessarium quoddam esse consequens, non negamus, at esse eam ipsam fidei formalem rationem, vult Socinus, qui de Justif. p. 58. *Fide*, inquit, *in ipsum Deum*, i. e. fiducia in ipso Deo collocanda justificamur, quae fides obedientiam praeceptorum Dei, non quidem ut effectum suum, sed ut suam substantiam & formam continet atque complectitur. Id vero est, quod nos negamus, quia quod fidei justificanti in justificationis actu opponitur id non potest esse ipsa fides justificans. At obedientia & quaecunque bona opera & c. Rom. III, 28. c. IV, 2. Gal. II, 16.

§. 40. Caterum justificat fides non considerata absolute, ut habitus mentis vel voluntatis, sive opus à lege praescriptum; sed relate, ut actus meritum Christi apprehendens, quae apprehensio non tantum mentis est, sed & voluntatis, dum haec verà fiducia tendit in proprium suum objectum, meritum Christi, & gratuitas Dei promissiones, in iisque acquiescit, imò acquiescendo recipit id omne, quod Deus nobis promisit Rom. IX, 30. Gal. II, 20. Col. II, 2. 6.

§. 41. Solam fidem justificare constans fuit Antiquitatis sententia. Origenes in Rom. III. *Sola justi gloriatio est in fide crucis Christi, quae excludit omnem illam gloriationem,*

qua descendit ex operibus legis. Ambrosius in I. Cor. I. Hoc constitutum est à Deo, ut qui credit in Christum salvus sit sine opere, solâ fide gratis accipiens remissionem peccatorum. Chrysostomus Homil. VII. in Rom. III. Hic virtutem Dei ostendit, quod non solum salvavit, sed & justificavit, & glorificationem induxit, nullus ad hoc usus operibus, sed fidem tantum exigens. Basiliius Serm. de humilitate; Hoc est in Domino gloriari, quando quis non effertur sua iustitia, sed agnoscit se destitutum vera iustitia & solâ fide in Christum justificari. Augustinus Serm. 181. de Temp. Credenda est præcipue fratres peccatorum remissio: quia hoc unum remedium est, quod hominum genus à sententia perpetue mortis absolvit Theodoretus in Eph. II. Non nostra sponte credidimus, sed vocati accessimus, & cum accessissemus, non exigit vita puritatem & innocentiam, sed, solâ fide susceptâ, condonavit peccata. Iſychius l. IX, in Lev. c. 2. Gratia ex misericordia & compassione prebetur, & fide comprehenditur solâ. conf. Semicenturiam II. Quæst. 18.

§. 42. Ubi fidem & opera in negotio salutis conjungunt Veteres, loquuntur vel de historica & generali fide, quæ est tantum notitia & generalis assensus, vel de externa professione fidei; vel de fide ut viâ salutis. Licet enim fides quæ organum apprehendendi Christi ad justitiam & vitam solâ sit, solâ tamen non est quæ via salutis, sed requiruntur in subjecto salvando, uti necessarium consequens veræ fidei, bona opera, nec nisi benè operantibus vita æterna promissa est. Hoc sensu Lactantius de div. Inst. Epit. c. IX. Magnum, inquit, pœnitentiæ auxiliû, quàm qui tollit, viam vitæ sibi amputat. Chrysostomus Homil. XXXVIII, in. Joh. Alii vigilando delent peccata: tibi facilitari viâ, nemini succensendo, idem consequi datur. Hymno super Pf. CXXXV. Alius per jejunia, alius per elemosinas, alius per alias virtutes festinat ad Dominum.

§. 43. Nonnunquam hyperbolicè de operibus loquuntur veteres, ut populi securitatem tollant & studium bonorum

rum

rum operum ardentius urgeant. Ità Origenes Hom. I. in Ezech. *Quare agrè ferēs niti, laborare, contendere, & per bona opera causa salutis tuæ fieri?* Hilarius in Matth. can. VI. *De nostro est beata illa æternitas promerenda.* Ambrosius l. II. de pœnit. c. 5. *Operibus peccata teguntur.* Chryostomus ad popul. Antioch. homil. XXXIII. *Elemosyna eruit à morte, dat vitam æternam & advocata nostra est.*

§. 44. *Forma justificationis vel privativè effertur, & nominatur remissio peccatorum, vel positivè, & dicitur justitiæ imputatio, vel utroque modo.*

§. 45. Qui in assignanda justificationis forma tantum ponunt *remissionem peccatorum*, justitiæ-Christi imputationem simul sub ea comprehendunt, idque ex natura privantium, quorum negato uno alterum affirmatur & contra. Sicut enim cum dicitur, hic non est cœcus, simul dicitur, quod habeat visum; ita cum dico, hic homo non est sub reatu peccatorum, simul intelligo, quod habeat justitiam. Qui non habetur apud Deum pro nocente, habetur pro innocente.

§. 46. Qui formam justificationis volunt esse *imputationem justitiæ Christi*, remissionem peccatorum includunt utrique, quia hæc duo realiter non differunt, sed tantum λόγῳ. Unde Paulus Rom. IV, 6. ostensurus, justificationem fidei fieri propter imputationem justitiæ sine operibus, affert dictum Ps. XXXII, 1. in quò tantum remissionis sive non-imputationis peccatorum fit mentio. 2. quia remissio peccatorum peccata non tantum commissionis, sed & omissionis complectitur, ità ut in Christo condonetur nobis quod est commissum, nempe peccatum, & imputetur, quod est omissum, nempe justitiæ legis seu obedientiæ à Christo præstita.

§. 47. *Remissio peccatorum est indulgentia Dei non imputantis peccata ad damnationem.*

§. 48. *Peccatum consideratur vel in prædicamento*

qualitatis, ut est vitiositas, vel in prædicamento relationis, quatenus obligat ad damnationem. Quando in sacris literis dicitur tolli, deleri, projici post tergum, demergi in profundū maris, de reatu sermo est, non vitiositate, quippe quæ in hac vita non tollitur penitus ut non sit, sed expurgatur tantum ut non dominetur.

§. 49. *Imputatio justitiæ Christi* est realis applicatio obedientiæ per Christum præstitæ & per fidem nobis adscriptæ.

§. 50. *Materia imputationis est Justitia Christi*, sive obedientia activa & passiva, quæ pro diversitate causarum diversa sortitur nomina. Ratione *cause efficientis* vocatur *justitia Dei* Rom. I, 17. III, 20. 22. quia Deus ex mera gratia illam nobis imputat; ratione *cause meritoria* *justitia Christi*, quia Christus eam agendo & patiando promeritus, unde justificati dicuntur gratiam habere apud Deum per Dominum nostrum Jesum Christum Rom. V, 2. ratione *cause instrumentalis* ex parte nostra *justitia fidei* Rom. IV, 6. quia fit nostra per fidem absque operibus; ratione *cause instrumentalis* ex parte Dei *Evangelica*, quia in Evangelio nobis offertur ut imputabilis ad salutem, de qua imputatione lex nihil novit; ratione *cause formalis imputata*, quia per imputationem fit nostra. Quando à quibusdam *justitia aliena* dicitur, non absolute id, sed secundum quid intelligendum est. Nam quæ aliena dicitur, quatenus non abs nobis sed Christo legi satisfactum, rectè tamen & nostra dicitur propter applicationem & apprehensionem ejus fiducialem I. Cor. I, 23.

§. 51. Pontificii utut non negent concurrere justitiam Christi ad justificationem nostram tanquam causam meritoriam, negant tamen constitui nos per eam ipsam formaliter justos, quod fieri per inhaerentem justitiam docent Patres Concilii Tridentini sess. VI. can. 7. *Unica formalis causa justificationis est justitia Dei, non quia ipse justus est, sed quia nos justos facit; qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu[m] mentis nostræ, &*

non

non modo reputamur sed verè iusti nominamur & sumus, iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam Sp. S. partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusq; dispositionem & cooperationem. Can. X. contrarium statuentibus anathema dicunt. conf. Bellarminus l. I. de justif. c. 17.

§. 52. Nos quidem non negamus infundi in justificatione simul iustitiam inhærentem, quâ homo interiorius renovetur, quod criminis impudentissimè nobis intentat Becanus lib. 1. Man. c. 16, qv. 2. at constituti nos per eam formaliter justos id verò pernegamus. Unum, Verum, Bonum entî individuo nexu coexistunt, idem tamè formaliter non sunt.

§. 53. Qui iustificantur per imputationem iustitiæ sine operibus, illi iustificantur per imputationem alienæ, non inhærentis iustitiæ. Peccatores iustificantur per imputationem iustitiæ sine operibus Rom. IV, 6. E. Deinde, iustitia nostra i. e. quâ coram Deo formaliter constituimur iusti, est imputata iustitiæ beatæ enim, cui Dominus imputat iustitiam; Christi iustitia est iustitia nostra. Jer. XXII, 6. XXXIII, 19. I. Cor. I, 30. Si dixerint, esse iustitiam nostram *effectivè*, respondemus, ità factum esse iustitiam nostram, *ne ullus gloriari possit* v. 31. ob iustitiâ autem effectam & sibi inhærentem adhuc quis gloriari potest, quia illa hominem quoque tanquam causam agnoscit. Denique, quemadmodum Christus factus est pro nobis peccatum, sic nos in ipso vel per ipsum efficimur iustitia 2. Cor. V, v. ult. Atqui per imputationem alieni delicti &c. Es. LIII, 4. 6. 12. Jos. I, 19. 21.

§. 54. Et hæc fuit unanimis Patrum doctrina. Chrysostomus in II. Cor. V. *Iustum fecit peccatorè, ut peccatores faceret iustos. Imò neq; sic dixit, sed quod multò majus erat. Non enim qualitates posuit, sed substantiam; non dixit peccatorem, sed peccatum, ut nos fieremus, non dixit iusti sed iustitia, & iustitia Dei. Dei enim est ista, cum non ex operibus, quando necessarium est etiam maculam nullam*

nullam inveniri, sed à gratia justificatio fit. Hieronymus ibid. Ita
& Christus pro peccatis nostris oblati peccati nomen accepit, ut nos
efficeremur justitia Dei in ipso non nostra, nec in nobis. Augustinus
de verb. Apost. serm. VI. Ut nos simus justitia Dei in ipso. Videte
duo, justitiam Dei & non nostram: in ipso, non in nobis. Bernhar-
dus Epist. CXC. Assignata est homini aliena justitia, quia caruit
sua. Satisfactio unius omnibus imputatur.

§. 55. Ex ipsis etiam Pontificiis fuere, qui justitiam
imputatam agnoverunt, uti Antididagma Coloniense suffi-
cienter demonstrat. Certè Alberti Pighii controv. II. ex-
pressa hæc sunt verba; Si formaliter & propriè loquamur, nec fide,
nec charitate nostra justificamur, sed usque in Christo justitiâ,
unâ Christi nobis communicatâ justitiâ.

§. 56. Sociniani fidem nobis in justificatione im-
putari à Deo docent, ut per eam formaliter constituamur
justi, idque quia Paulus Rom. IV, 5. inquit, quod fides nobis
imputetur ad justitiam. Videantur Socinus part. IV, de Serv. c.
4. Schmalzium contra Franzium disp. IV. Volkelius I. V. de
ver. relig. c. 21. Sed quæ per fidem venit in omnes credentes
justitia Rom. III, 22. Phil. III, 9. non potest esse ipsa fides. In
loco citato vox fidei non nisi relatè sumitur & organicè, ac qui-
dem per Metonymiam nomine fidei intelligitur Christus vel
justitia Christi fide apprehensa.

§. 57. Minimè pugnant secum ipsis nostri Theologi
(uti quidam clamitant Papicolarum,) quando Christi ju-
stitiam, satisfactionem, obedientiam, modo justificati-
onis causam meritoriam faciunt, modò ad formalem refe-
runt. Nam eadem obedientia Christi, quæ in se considera-
ta est causa meritoria, illa quatenus per fidem apprehenditur no-
bisque applicatur, materia est imputationis, quæ formam
justificationis constituit.

§. 58.

§. 58. Qui ex nostratibus *fidem* vocant formalem justificationis causam, intelligunt eam cum suo correlato, merito Christi apprehenso, & *forme* termino utuntur latius pro modo ac ratione, quâ coram DEO justificamur, ut sensus sit, Justificationis hunc esse modum, ut fides amplectatur Christum, & in Christo habeat gratiam Dei, remissionem peccatorum, ac justitiam coram Deo valentem.

§. 59. *Imputatio* vel est *meritoria* vel *gratuita* Rom. IV, 4. *Illâ* fit ex debito, *hec* ex gratia: *illâ* fundamentum habet in eo cui fit, ut cum imputantur nobis peccata nostra: *hec* in judicio & voluntate imputantis. De posteriori hic est sermo.

§. 60. *Imputatio* justitiæ Christi nobis adscriptæ *realis* est, non imaginaria. Realiter Christo imputata sunt nostra peccata: hinc ea *sua* vocat Ps. LXIX, 6. non *inhabitione*, sed *imputatione*, non quod *commiserit*, sed *tulerit* ea Es. LIII, 5. 6. Realiter ergo quoque nobis imputabitur justitia Christi.

§. 61. *Finis* justificationis *respectu* Dei est *gloria justitiæ & bonitatis divine* Rom. III, 25. c. IV, 23. I. Pet. II, 9. Ita enim Deus justificat, ut gratiæ & justitiæ ejus dulcissima & admiranda fiat contemperatio, ne vel gratiæ deroget justitiæ, vel propter justitiam periclitetur gratia: *respectu* nostri est *salus æterna*.

§. 62. *Consequens* justificationis est *pax conscientiæ & certitudo salutis*. Rom. V, 1. Per fidem enim in promissionibus Dei tutò acquiescimus, remotâ omni animi dubitatione & diffidentiâ.

§. 63. Pontificii negant quenquam de salute sua, exclusâ omni dubitatione, infallibiliter certum esse posse.

§. 64. *Certitudo* est affectio non tam *rerum*, quàm *cognitionis nostræ*, quomodo certum est, quod exploratè verum est. Vid. Thomas II. secundæ qv. 18. art. 4.

§. 65. Certitudo oritur vel ex evidentia rei Metaphysica & Physica, cum per rationes firmas aliquid demonstratur & per sensus evidens est, atque hæc est infallibilis: vel ex evidentia morali & testimonio, quod cum humanum est, gignit certitudinem fallibilem; cum divinum, falsitatem omnem excludit. Pontificii agnoscunt evidentiam moralem, & certitudinem, quæ nititur conjecturis, fallibilem.

§. 66. Nobis de certitudine salutis acturis non est quæstio de quibusvis hominibus Epicuri etiam de grege porcis; non de fide hæreticorum, quæ tantum generalis est, nec impiorum, quæ nil nisi vana est persuasio: sed de verè credentibus. Neque tamen vox credens certitudinem facit conditionalem, uti somniat Bellarminus l. III. de Just. c. 21. sed tantummodo describit subjectum. Non enim dicimus, hominem certum esse posse, si constet ipsum credere, sed credentem certum esse, quia ipsi satis constat quod credat.

§. 67. Notamus quoque, quod alia sit certitudo justificationis præsentis, alia electionis & finalis perseverantia. Illam dicimus esse absolutam. Verè credentes enim de justificatione & fide præsentis absolutè certi esse possunt: hanc conditionalem. Non enim potest quis posse sese permanfurum in fide & vitam æternam consecuturum, nisi hypotheticè, si vigila-verit, oraverit, bonam conscientiam retinuerit, aut post peccatum mortale actâ pœnitentiâ Deo iterum reconciliatus fuerit.

§. 68. Sed nec hoc negligendum est, non quæri hic, an semper sit aequè firma fides renatorum? Fatemur enim quod sæpè cum multis ac variis dubitationibus conflictetur, ut langvida admodum sit fiducia, & credens sibi vix persuadere possit se esse in gratia.

§. 69. Quæritur ergo, An ii qui resistunt dubitationi & tentationem fiducia superant (quod facere unusquisve tenetur,) de salute sua absolutè & infallibiliter certi esse possint? §. 70.

§. 70. Concilium Tridentinum sess. VI. can. 9. sic decernit: *Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, de Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet; sic quilibet, dum seipsum suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare ac timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Costerus in Enchirid. c. IV. *Fidei, inquit, certitudinem citra omnem dubitationem noluit Christus in nobis esse.* Quæ verba probè notanda sunt propter Bellarminum, qui l. c. dicit, *Catholicos (Romanos,) non negare certam fiduciam in Deo collocandam esse, & certè confidendum post actam legitimè pœnitentiã remissa esse peccata.* At ubi dubitatio, ibi certitudo esse non potest. Contendunt ergo Pontificii, credentem non posse infallibilem certitudinem habere de salute & justificatione sua, nisi per extraordinariam revelationem.

§. 71. Photiniani, tametsi statuunt fidem esse fiduciam, quia tamen & ipsi à conditione operum salutem nostram dependere existimant, non possunt non absolutam, quam nos defendimus, certitudinem negare. Vid. Schmalzium contrâ Franzium disp. X. & Volkelius l. III. de V. R. c. 13.

§. 72. Nos unicum hoc argumentum pro affirmativa urgemus: *Qui promissionibus divinis de justitia & salute sua credunt, ii de justificatione & salute sua infallibiliter certi sunt, fide divina, quia fides innixa promissionibus Dei & testimonio divino est divina.* Atqui verè credentes &c. E. &c.

§. 73. *Excipit* Bellarminus, promissiones illas esse universales, specialem ergò applicationem adhuc manere dubiam. *Resp.* Ex propositione generali certa posita assumptione deducitur conclusio ejusdem certitudinis. v. g. omnes homines in Christo sunt redempti, Ego sum homo. E. Hic conclusio gignit æquè divinam certitudinem ac Major, etiam si

Minor non habeatur in Scriptura Sacra, uti ex adversariis ipse Vega docet l. IX. de Justif. c. 39.

§. 74. At *instat* Bellarminus, Minorem in allato syllogismo esse evidentem & sensu externo cognitam, non autē in hoc; Qui credit salvatur, Ego credo, E. *Resp.* Minorem etiam in hoc postremo syllogismo evidentem esse. Consideramus enim fidem non ut qualitatem, de quā dubitandum, an satis intensa sit nec ne; sed ut actū apprehendentem meritum Christi, ubi quæritur tantum, num adsit, an non? id verò homo evidenter cognoscit, an intellectus præbeat assensum, an non? an voluntas acquiescat, annon? Si enim in alio id cognoscere potest, quid vetat, quò minus idem in seipso cognoscat? *Suam quisq; fidem in seipso videt*, inquit Augustinus l. XIII. de Trin. c. 1. Concupiscentia, vitiosi motus, aliæque infirmitates vitiant quidem fidei qualitatem, sed essentiam non tollunt. Deinde, si maximè Minor non esset evidens, esset tamen infallibiliter certa, quia creditur fide divinâ, fundata in testimonio divino. Nam quod Spiritus S. testatur, id credimus fide divinâ, cui non potest subesse falsum, At Spiritus S. contestatur spiritui nostro non solum in genere, quod sint aliqui filii Dei, sed & in specie, quod nos simus Filii Dei Rom. VIII, 15. E.

§. 75. *Excipiunt*, non constare nobis illud testimonium nisi probabiliter. Sed falsum id est. Tam certò nobis constat, ut per illud clamemus Abba Pater, ibid. ut per illud scire possimus, quæ à Deo donata sunt nobis I. Cor. II, 12. I. Joh. IV, 13. 16. ut, si non credamus illi, Deum faciamus mendacem. I. Joh. V, 10. 11. ut eo ipso tanquam arrhabone obsignetur in nobis applicatio promissionum Dei Eph. IV, 30. Conf. D. Henricus Höpfner in Tract. de justif. dif. V. VI, VII, VIII, IX.

§. 76. Atque hanc fidei divinam & infallibilem certitudinem agnovere Veteres. Cyprianus ad Demetrian. *Vi-*

ges

get apud nos spei robur & firmitas fidei, & inter ipsas seculi labentis ruinas erecta mens & immobilis virtus, & nunquam nisi leta patientia, & de Deo suo semper securus anima. Basilius Reg. contr. qq. 296. Quando quis vel suis vel alienis peccatis eo modo quo diximus affectum se animadvertit, tum $\omega \lambda \eta \rho \sigma \Phi \rho \eta \eta \tau \omega$ sine dubio credat se liberum esse à peccato. Ambrosius (vel quisquis auctor,) Serm. V. quisquis illi fermento Christi adhaerit, efficitur & ipse fermentum, tam sibi utilis quam idoneus universis, & de sua certus salute & de aliorum acquisitione securus. Gregorius I. VI. Regist. c. 187. Deum sitiens anima prius timore compungitur, post amore & c. at vero cum longà maroris anxietate fuerit formido consumta, quadam jam de præsumptione venia nascitur securitas. Augustinus in Pl. LXXXVIII. Quia neq; secundum merita nostra, sed secundum illius misericordiam firma est promissio, nemo debet cum trepidatione prædicare unde non potest dubitare. Anselmus (aut ut alii Hervæus) in Rom. VIII. Per hoc quod Spiritus S. Charitatem nobis infundit evidenti testimonio declarat menti nostra nos esse filios Dei, conf. Bernhardus serm. V. dedic.

§. 77. Ubi Patres specialem fidei certitudinem videntur negare, loquuntur vel de præsumptione & carnali securitate, in qua homines libertatem & pacem somniant sine tentatione ac periculo; vel de certitudine perseverantiæ ad finem sine lapsu & defectione; vel de certitudine experientia, quæ semper est post eventum rei; vel de certitudine gratia & salutis aliorum; vel de certitudine per revelationem extraordinariam; vel de certitudine scientifica, quæ est ex propriis principiis, uti docet Gvilielmus Perkinus Probl. de Rom. Eccl. cathol. e mentit. p. 115.

§. 78. Certitudinis hujus defensores quoque fuerunt non tantum ex scholasticis quidam, vid. Hales sup. 2. d. 12. qu. 20. Scotus I. III. dist. 23. sed & ex Neotericis Catharinus, Cajetanus, & qui Patres Concilii Tridentini in oratione publica

blica his alloquitur verbis Antonius Marinarius Carmelita; Homo ab inani propria dignitatis confidentia abhorrens, omnino à Dei misericordia pendeat; Statuatq. Deum, ut clementissimum patrem, sibi adesse, à quo lata semper expectet & foelicissima, nec unquam patiatur ex animo persuasionem illam excuti, etsi duris ac infinitis vexetur difficultatibus, quas mundus, caro, Sathan hinc atq. illinc procurant, ut nos à Dei fiducia, ejusdemq. obsequio abducant religiosissimo. &c. Quamobrem in dubitationis labyrintho non errant, qui per Christum adepti sunt justitiam; sed in securitate mentis, in pace conscientiae, in letitia cordis, edocti Spiritu illo, qui illis testimonium reddit, quod sint filii Dei, audent dicere Abba Pater.

§. 79. Nolumus tamen, dum metum diffidentiae convellimus, metum piæ sollicitudinis una extinctum. Christianorum enim est operari salutem cum timore & tremore Phil. II. 12.

§. 80. Neque hæc eò pertinent, inquit Petrus Molinaeus disp. de Fid. Justif. Ps. XXXIX. ut albo fidelium expungantur, quotquot hanc fidei *ἰσχυροφωρίαν* in summo gradu nondum sunt affecuti, quam Deus non dat omnibus eodem tempore nec mensura. Sed ut doceamur hanc fiduciam à Deo juberi & ab eo obnixè petendam esse, & toto conatu in id incumbendum, ut precibus roboretur ac crescat. Aliàs infirmæ fidei, sed non simulatæ, suus quoq. locus est: etiam lippitentibus oculis cernitur via. Nec qui serpentis aenei aspectu sanabantur, pariter erant perspicaces.

Tantum.

Ad Præstantissimum

DN. CHRISTOPHORUM PARSCHITIUM,

publicè disputantem

DE JUSTIFICATIONE & SANCTIFICATIONE.

NE quis PARSCHITIOS, quos Pannonis expetit ora,

Hic decus in nostris continuare Rossis

Aut neget, aut dubitet, Tu Fratris maxima cura


Succedis, studium, Te studioque probas.


Sit felix, quod ages! *Justi, Sanctiq.* triumphant.

Fac justos, sanctos, ut facere ipse queas.

Celerrè:

Augustus Varenius, Colleg. Th. Dec., & h. t. Acad. Rost. Rector.






get apud nos spei robur & firmitas fidei, & inter
ruinas erecta mens & immobilis virtus, & nunqu
entia, & de Deo suo semper securus anima. Basilius
296. Quando quis vel suis vel alienis peccatis eo
affectum se animadvertit, tum ω ληγοφορηθητω
liberum esse à peccato. Ambrosius (vel quisquis
V. quisquis illi fermento Christi adhaerit, efficitur
tum, tam sibi utilis quam idoneus univērsis, & de
& de aliorum acquisitione securus. Gregorius I.
Deum sitiens anima prius timore compungitur, po
rò cum longà meroris anxietate fuerit formido cor
jam de presumptione venia nascitur securitas. A
LXXXVIII. Quia neq̄ secundum merita nostra,
misericordiam firma est promissio, nemo debet cur
dicare unde non potest dubitare. Anselmus (aut
in Rom. VIII. Per hoc quod Spiritus S. Charita
evidenti testimonio declarat menti nostra nos esse
Bernhardus serm. V. dedic.

§. 77. Ubi Patres specialem fidei c
dentur negare, loquuntur vel de præsumptio
curitate, in qua homines libertatem & paco
tentatione ac periculo; vel de certitudine p
finem sine lapsu & defectione; vel de certit
tia, quæ semper est post eventum rei; vel de
tia & salutis aliorum; vel de certitudine p
extraordinariam; vel de certitudine scient
propriis principiis, uti docet Gvilielmus I
de Rom. Eccl. cathol. ementit. p. 115.

§. 78. Certitudinis hujus defensores
non tantum ex scholasticis quidam, vid. I
qu. 20. Scotus I. III. dist. 23. sed & ex Neote
Cajetanus, & qui Patres Concilii Tridentin



bentis
pati-
c. qq.
cimus
dat se
erm.
men-
lute
c. 187.
at ve-
dam
in Pf.
illius
e præ-
æus)
fundis
conf,
n vi-
ali se-
t sine
iæ ad
rien-
e gra-
onem
est ex
robl.
erunt
d. 12,
inus,
e pu-
blica